



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541638-p0001-6

DFG

1682.

- 1^a. Bartoli, Bruckhardus: *De faciendo obligatione.*
2. Bartoli, Bruckhardus: *Explicatio l. si quis in
lau lau y. C. unde vi.*
3. Homann, Ioh. Andrea: *De actionibus ciuitatis
et criminalibus... differentiae principes.*
4. Homann, Ioh. Andrea: *De condomino territorii*
5. Homann, Ioh. Andrea: *De actionibus ciuitatis
et criminalibus... differentiae principes.*
6. Harpprechtius, Ferdinand Christophorus: *Testamentum
pagani in hostico conditum*
7. Harpprechtius, Ferdinand Christophorus: *Testamentum
pagani in hostico conditum*
8. Harpprechtius, Ferdinand Christophorus: *Hypolepsis
singularis eius de insania dispensacionis, quae
fil pro paenae aggrovationem*



1682.

9. Kurier, Iohann Adams: *De testamento coacto*

10. Maglingus, Iohann Ludor'us: *Problematæ mathematis*

11. Schrederus, Gabriel: *De privilegio fori personarum miserabilium.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541638-p0005-8

DFG

173. *Wolfgang von Westenholz*
173. *Wolfgang von Westenholz*
173. *Wolfgang von Westenholz*
173. *Wolfgang von Westenholz*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541638-p0007-9

DFG

136

PROBLEMATA
MATHEMATICA,

Favente DEO Benignissimo,

Sub PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS LUDOVICI MÖ.
GLINGI, Phil. & Medicinæ Doctoris, Physices & Mathe-
seos in Academia Tübingeri Professoris Publici
Ordinarii,

Domini Cognati ac Praeceptoris sui Colendi,
Pro Suprema Philosophiæ Laurea, sive Gradu
MAGISTERII consequendo,

Ad disputandum publicè proposita,

à RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Tubingensi,

Die 21. Ianuarij,

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO.

Anno

1682.



Tubingæ

Typis excudit Gregorius Kerner.

VIRO

*Stemmatis Nobilitate, Virtutum Excellentia,
Officiorum Amplitudine, Meritorum
Pondere*

*Verè EMINENTI,
DOMINO*

JOH. EBERHARDO
VARENBÜLERO, in & ab
Hemmingen/Sereniss. Wirtemberg. Duc. Con-
siliario Intimiori, Illustris Collegii Tübinger Ephoro,
Civitatum & Districtuum Tübinger, Sulzensis, & Her-
renbergensis Præfecto Superiori, Dicasterii Supremi
Assessori,

Mecanati suo Venerando,

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo,

DN. VALENTINO AN-
DREÆ SCHRAGMÜLLER, J.U.C.
Civit. & District. Tüb. Præfecto Inferiori,

Patrono suo Suspiciendo,

VIRIS item

*Nobilibus, Amplissimis, Spectatissimis,
Prudentissimis,*

DN. JOH. JACOBO BAURIO,

Statuum Provincial. Selectior. Ordin. & Su-
pren. Dicaster. Wirtemb. Assessori, Avo
fuo obsequiosè colendo,

DN. ABRAHAMO RIECKIO,

Chirurgo Jurato Primario.

DN. JOH. LAURENTIO KUEN-
LINO,

DN. JOH. CHRISTIANO WOL-
FIO,

CIVITA-
TIS TV-
BINGEN-
SIS CON-
SVLIBVS
GRAVIS-
SIMIS.

vt &

DN. ARCHIGRAMMATEO,

Atque
Reliquis Civitatis Inclytæ & Perantiquæ
TUBINGENSIS

SENATORII ORDINIS

DNN. ASSESSORIBVS LAUDATISSIMIS,

FAUTORIBUS SUIS ÆTERNUM
COLENDIS,

Hæc Problemata Mathematica

Sacra esse vult

Cliens devotissimus,
addictissimus,

AUTHOR.



L. B. S.

Et perfectionis atque excellentiae proiecta est Disciplina ab omnibus retro Seculis maximi aestimata Mathesis, ut reliquis palam merito queat facere dubiam. Quod incepere olim Veteres, id maxima diligentia ab Hodiernis perficitur, immo novis Inventis quotidie augetur. Sic exultat Seculum hocce Nostrum de Analyse, ut vocare solent ipsius Cultores, Speciosa, non in Numeris iam Logicam suam exercente, sed per Logisticen sub specie noviter inducendam. Invenit eam primus Franciscus Vieta, Fontenæensis Gallus; multum perfecit Renatus des Cartes; excoluerunt Viri Celeberrimi, Johannes de Witt, Florimundus de Beaune, Franciscus à Schooten, Petrus Mengolus, Renaldinus, Gregorius Scotus, Hugenius, Slusius, usumque Ejus in Disciplinis aliis demonstraverunt maximum. Talia quoque addi solept Geometriæ, ubi nota illa Disciplina hujus promotio secesserit, Methodus scilicet Indivisibilium Cavalieri, cui assensere postea Paschalis, alias Dettonville, Antimus Farby, Bullialdus, Torricellius, Richardus White, Magiottus atque Alii. Hic varia variorum de Circuli aliarumque figurarum Quadratura extant tentamina; Hic Circulus Proportionatorius Galilæi, Pantometrum Kircheri, Mensula Prætorii occurruunt. Ostendunt Hodierna Telescopia Planetarum Phases varias atque Satellites, illorumque motum accuratè determinandum monstrant Astronomis. Formantur novæ Planetarum orbitæ atque calculi; Notantur Novæ Stellæ in Cassiopea, Ceto, &c. in utrovis hemisphærio, quarum illa quæ in Cygno apparuit subinde Astronomorum oculis rursum conspicuare redditur. Evidem in Instrumentorum copiam si delaberer, Machinarum nempe Opticarum, Musicarum, Hydraulicarum, Pyrobolicarum, Thavmaturgicarum varietatem, non Procœnium aliquod iisdem, sed peculiaris destinandus foret Tractatus. Ex spatio Di-
sciplina hujus campo quosdam decerpsti flosculos, quos publicè perpendendos propono; Faveat Benignissimus DEUS.



EX ARITHMETICA

I.

*Calculus per Logarithmos institutus interdum
minus accuratus est.*



Uid sint Logarithmi notum est, scilicet definiente Luberto Middendorf. in Tab. Logarith. pro Sin. Tang. &c. sunt Numeri Artificiales, æ qualibus differentiis crescentes, ubi alii numeri, pro quibus compendii causa adhibentur, crescunt proportionaliter. Inventor illorum dicitur Nepperus; perfectores autem plurimi, ut Briggius, Vlacq. & Galij. Et sanè utilitas illorum non parva est, cum sine operosis multiplicationibus ac divisionibus calculus Trigonometricus absolviri possit; Hinc in Regula dicta de Tri, quod multiplicatione ac divisione alias peragitus hīc sola Tertiī & Secundi additione, ac Primi subtractione perficitur; de quo ut & reliquis iisdem operandi modis vide Autores citatos. Verum hi Logarithmi non semper comprehenduntur accurati, sed nunc quam minuta aliqua, nunc plus deficiunt vel excedunt, accuratus si desideretur calculus: Ex. gr. Hainlinus in Synops. Mathem. Astron. Praxi & Vsu, p. m., 541. probl. o. hoc Problema habet: *Distantiam Solis à Centro Terræ ad quodvis datum tempus juxta hanc Theoriam reperire.* Ubi ex Tabulis Sinuum hunc affert Analogismum:

Ut sinus Anguli ies

14. 14. 17.

2 4 5 9 5 1 2

Ita sinus Anguli ies,

13. 43. 56.

2 3 7 3 8 4 4.

ad Latus se, quod

statuitur

1166. SD. T.

ad Latus quæsitum,

sc. 1121. SD. T.

A 3

Per

Per Logarithmos autem si instituo, erit hoc modo.

Logar. sin. 14. 14. 17. 9. 3908489.

Logar. lat. 1166. 3. 0666985.

Logar. sin. 13. 43. 56. 9. 3754523.

Logar. lat. 1125. 3. 0513019.

Latus ergo se, per Tab. Sin. investigatum fuit 1121. per Logarithmos autem plusquam 1125.

II.

Invenire 4. Numeros, ut compositus ex illis sit Quadratus, & multiplicatus in primum faciat Octogonum, in secundum Heptagonum, in tertium Quadrato Quadratum, in Quartum Quadratum.

Plures hujusmodi quæstiones proponere, magnaque subtilitate solvere solet *Diophantus Alexandrinus*, qui altero post Christum natum anno floruit, & Inventor dicitur Algebrae Veterum (quamvis non desint, qui *Platoni* gloriam tanti inventi afferant.) vid. *Sturm. in dissert. de Mathem. & Mathematic. pag. 38.* Assumpsit illarum aliquas *Renatus Franciscus Slusius*, & loco numerorum, quibus ille utitur, substituendo species universalius solvit in *Mesolabo* suo, quod Excellentissima Geometriæ promotio à tempore Celeberrimi istius Mathematici *Cartesii* vocatur in *Actis Philosoph. Angl. mens. Martio, 1669.* Corrigit autem *Slusius* *Diophantum*, & Triangulo, quod hic requirebat, in hujusmodi quæstionibus opus non esse, sed Quadratum sufficere, ostendit. Illius Ergo Methodum indefinitam atque universalem huic etiam propositioni applicare liceat. Sit igitur octogonus, q , heptagonus, p , quadrato quadratus d^4 , quadratus denique bb . erit summa omnium

$$\frac{q}{a} + \frac{p}{a} + \frac{d^4}{a} + \frac{bb}{a} = a. \text{ sive } q + p + d^4 + bb = aa.$$

Summa-

Sumptis omnibus ad libitum præter bb , quod sic invenietur.

$$\frac{q + p + d^4 - nn}{2 \cdot n} = b.$$

accepta itidem ad libitum n , modo ejus Quadratum à reliquo summa auferti possit. Dabitur ergo b .

Sit in numeris $q. 8. p. 7. d. 4. 16. n. 1.$ erit æquatio $\frac{30}{n}$ sive $15. b.$

Est ergo $bb. 225.$ qui additus ad $q + p + d^4$, dat $256. = 2a.$
Itaque a est $16.$ & numeri quæsiti sunt

$$\begin{array}{cccc} 8 & 7 & 16 & 225 \\ \hline 16 & 16 & 16 & 16 \end{array}$$

Summa horum est $\frac{256}{16}$ sive $16.$ unusquisq; horū numerorum

in 16 , si ducatur, absolvetur propositum.

EX GEOMETRIA.

I.

Dantur Lineæ Asymptotæ.

H. e. dantur Lineæ, quæ etsi in infinitum producantur, magis semper atque magis ad se invicem accedunt, nunquam tangentur vel intersecant vel tangunt.

Tales primò occurruunt in *Hyperbola*, quæ definiente Schott. Mag. Univ. p. 1. l. 7. synt. 3. c. 1. est figura plana, contenta sub Linea curva & recta, orta ex sectione Coni piano aliquo neutri coni lateri parallelo, sed ita constituto, ut latus coni alterum productum ultra verticem fecet. Comparatur hinc ab Alstedio Pileo, in Method. Math. admirand. Geometr. p. m. 123. Hac igitur in figura Asymptoti dicuntur duæ lineæ rectæ, è centro Hyperbolæ excurrentes, eamque ita circumdantes, ut quò longius & Asymptoti & Hyperbola producuntur, hoc ad

ad se invicem etiam quocunque intervallo dato proprius, accedunt, nunquam tamen etsi in infinitum abeant convenient; Ethæ lineæ sunt, quæ vocari solent *Asymptoti*. Licet etiam in eadem figura, lineæ illæ, quæ non è Vertice excurrunt, sed angulos tantum cum his æquales habent, iisdemque sunt parallelæ, hoc nomine vocari possint.

Secundò, non solum lineis curvis & rectis hoc competit, sed etiam duabus curvis, scilicet *Hyperbolis*. Hinc *Guldinus in Centrobar l. 2. p 70.* Quod si admitandum hoc est, quod de curva ac recta linea nunquam concurrentibus diximus, magis fortasse aliquis admirabitur, idem contingere duabus curvis, h. e. duabus Hyperbolis, quæ quo magis continentur, hoc proprius ad se invicem accedunt, & quovis etiam intervallo dato proprius, nunquam tamen eum quem ambiunt amplexum consequuntur; Eas autem esse illas Hyperbolas, quæ intra eundem binarium Asymptotarum complexum comprehenduntur, cum *Pappo Alexandrino* demonstrat *Fed. Commandinus*.

Tertiò, idem occurrit in *Linea Conchili Nicomedi*, quæ quo longius provehitur, eo magis ad alteram linearum accedit, ab alterâ verò recedit, nunquam tamen vel cum illa coit, vel ab hac magis distat, quam est mensura Sagittæ directæ. Causam ultimi hujus vid. apud *Magnen. in Democr. Rediviv. pag. 333.*

II.

Descriptio Rectangulo è duabus lineis, circaque illud Circulo, si ducatur perpendicularis è puncto quodam circumferentia, erunt illæ Normalis & pars majoris datarum à normali sectæ, Media Proportionales.

De Problemate hoc, quod totam olim turbasse dicunt Græciam, multi varias ediderunt rationes ac modos; Lin-

nis

neis Rectis solutum videre licet in *Synops. Mathemat. Hainlin. Geometr. p.m. 228.* In Problemate autem hoc notandum, hoc modo ducendam esse perpendicularem, ut rectangulum in subjecta Linea, quæ major est datarum, per Lineam illam demissam factum, æquale sit Quadrato ipsius perpendicularis. Illud igitur punctum in Circulo, è quo demittenda perpendicularis, variis monstrâre rationibus; Supra citatus *Slusius in Mesolabo, Sectionibus Conicis, Ellipsi scilicet, Parabola atque Hyperbola* illud determinare conatur; De quo ipsum in Proœmio ad Lectorem audiamus: *Vix tot esse videntur Problematis hujus effectiones, quot secula, ab eo quo proponi cœptum est, numeramus.* Pauca omnino per Circulum & Hyperbolam vel Parabolam; per Circulum verò & Ellipsin nulla, quod equidem sciam, hactenus edita est; Quæ cum animo versarem, inveni non unam, sed infinitas, neque id vice simplici, sed pluribus; & Methodum secutus, quâ cœperam, omnia Problema solida, infinitis modis per Circulum & Ellipsin, vel Hyperbolam, parifelicitate construxi. Quæ omnia in propositionibus soluta, & Analysis demonstrata videre licet l. c. Utitur hoc ipso etiam punto ad duplicandum Cubum, melius quam *Thomas Hobbes, Anglus*, in tractatu, qui *Quadratura Circuli, Cubatio Sphære, Duplicatio Cubi* inscribitur, illud præsttit. Confutatus enim liber ille est à *Iohanne Wallis, Geometria Professore Saviliiano*; & Clar. *Iohannis Ott*, in disp. de *Natura visionis, Corollarium IV* est: *Tetragonismus Thomæ Hobbes, & ipsius Duplicatio Cubi*, nullius sunt pretij, neque punctum ullam extensionem, nec linea latitudinem & profunditatem, neque denique superficies profunditatem habere à Mathematicis rectè statuitur, Principiaque Geometriae sunt inconcussa.

CILH

B

EX

EX ASTRONOMIA.

I.

Nobile Problema olim à *Keplero* omnibus *Mathematicis*, tanquam Palmate, propositum quod tamen ipsemet solvere desperavit, tandem à *Schickhardo* suggestente D E O (fuerunt verba *Autoris*) inventum, & ante obitum Ejus *Excellentissimo Dn. Präfidi* communicatum; Cujus informatio ni me debere, publicè fateor.

Ex triplici contactu Ellipsin reperire, & una omnia ejus Accidentia; adeoque ex tribus saltem observationibus maxima distantia &c. & qd. à Sole orbes eorum Ellipticos invenire exactissime; quod impossibile creditum.

v. g. Dentur tres anguli inter \odot & ad Terram *BFG.BID.* *BON.* unà cum tribus distantiis \odot & Terræ (licet ipsi contactus veri *G.L.N.* ignorentur.)


Ex Sole *B.* in singulos emittantur orthogonales *BH, BK, BM.* erunt tria puncta *H, K, M.* in Circulo exteriori, duc igitur per illa circulum per 25. tert. Euclidis, cuius centrum erit *C.* axis transbit per *CB.*

Eccentricitas CB. & tanta pro CD. altero foco.

Quanta est *CA*, tantam facies *BP*; sic *CP* minor Semidiameter erit.

Demonstratio. Anguli *EHF, BKI, BMO.* ex Foco ad Tangentem sunt recti, & iidem terminantur ad peripheriam circuli ambientis.

II. Pro-



II.

Problema Nobilissimum,

passim à *Keplero* pro impossibili habitum, sed à *Schickhardo* inventum, qui Schema hoc *Πτισίφιον* sibi esse voluit, ut *Archimedes* suum de *Sphæra & Cylindro*; atque Excellentissimo *Dn. Präfidi* communicavit, cui itidem, ut prius, debeo.

Dato Motu media Anomalia, veram reperiere à priori, &c.

Media est *AD* verbi gr. 100 gr. respectu centri *F* (non *Solis*) trahantur lineæ ut supra. Sit, *GC*. ipsius *KB* vel *FB*. parallela. Ergò Triangula *DBK*. *DCG*. sunt æquiangula; ergò ut *KG*, vel *EB* ad *GD*. sic *BC* ad *CD*.

Æquationis pars ^{Physica}, Angulus *DFC*.
 Optica, Angulus *CFB* (vel *FCG*,)
 ut sit æquatio tota Anguli *DFB*, ad Solem *SGC*.

Probatio, quia *GM*. *MC*. æquantur ex parallelismo linea-
 rum *GC* & *KB*. ubi etiam *KF* & *FB* pares sunt.

Probatio quod Triangulum *DMG* sit Isoscèles: vel an-
 guli *D*. *G* pares. Triangula *EBC*. & *GDC*. proportionalia.
 Ergò anguli *E*. *G*. pares. Jam verò *BEC*. & *DGS*. propter par-
 allelismum etiam æquantur, & rursus *SGD*. cum *GDF*, qui
 sunt alterni.

EX CHRONOLOGIA.

*Periodus Julianus magnum hic est sub-
 fidium.*

Ut omnes Disciplinæ, ita & Chronologia innumeris sca-
 tet controversiis. De quo enim inter vulgus minimè du-

B 2 bitari

bitati solet, in dubium vocant *Chronologi*. *Aegidius Strauch* in *Breviario suo Chronologico* duorum annorum in Epochæ vulgari errorem esse afferit, & loco anni 1666. numerandum esse annum 1668. si vera Christi nativitas haberi velit. Verum omne quod hâc dñe profert, (*judicio Cujusdam*) nil aliud præstat, quam ut monstret, nihil certi ea de materia definiri posse. Controversia de tempore celebrandi Paschatos adhucdum agitatur, vid. *Excerpta ex Literis à Petito ad aliquem Amicorum suorum scriptis in Ephem. Erudit. anno 1666. p. m. 120.* *Didonem* mortuam esse ante *Aeneam* natum, (*contra Neoterici Autoris opinionem*) & consequenter quicquid *Virgilius* de hujus Reginæ cum dicto *Principe* nuptiis dixerit, fabulosum esse judicat *Labbe*, in *Compend. Chronolog. hist. sacr. & profan.* Hujusmodi igitur dissidiis ut remedium adhibeat, *Illustrissimus Instus Iosephus Scaliger*, periodum introduxit Julianam, cui plurimi hactenus assensere *Chronologi*. Evidem à cœlo petiti & Astris characterismi certissimâ demonstratione constant; sic de *Domitiano Suetonius* in *Ejus vita* refert p. m. 295. quod pridie quam periret, dixerit, fore, ut sequenti die Luna in Aquario se cruentaret, eumque 14. *Calend. Octobr.* interfectum esse indicat; hoc autem die anni à Christo nato 96. Lunam in 24. gradu Aquarii meridie constitisse ex *Tabulis Astronomicis* invenitur, itaque hunc verum esse annum mortis Domitiani ex eo facile concluditur, quod multis ante & retrò annis Luna in Aquario dicto die non reperiatur, dicit *Excellent. Dn. Megerlinus, Profess. Basiliensis, Cognatus meus Colendus*, in *disp. de Chronologia principiis. §. 4.* Verum raro inveniuntur hujusmodi characterismi, ita ut locus soli relinquatur Periodo Julianæ, de qua plurima apud Chronologos sunt obvia. Modum autem, quo annus Periodi Julianæ hujus inveniri possit nova faciliumqâ Methodo ex Cyclis Solis, Lunæ & Indictionis, monstrant *Ephem. Erudit. Anno 1666. Eph. 36.* scilicet, *Cyclum Solis* per 4845.

4845. Cyclum Lunæ per 4200. & Indictionis per 6916. multipli-
ca. Summam productorum divide per 7980. periodum Iulianum;
Quod peracta divisione remanet, nullo ad quotientem re-
spectu habito, annus erit quæsus. Exempli gratiâ; si Cy-
clus Solis 3. Luna 4. & Indictionum 5. Multiplicia 3. per 4845.
prodibit 14535. & per 4200. producentur 16800. & 5. per 6916.
habebuntur 34580. Summa Productorum 65915. erit; quæ per
7980. divisa 8. pro quotiente emergit, numerus autem 2075. resi-
duus, annus est periodi Iuliane.

EX GEOGRAPHIA.

I.

Aëris quoq; consideratio ad Geographiam spectat.

Intelligo hîc aërem non tam illum, qui intra Terræ poros
continetur & cavernas, quam illum, qui extra illas Athmo-
sphæræ nomine venire solet; Hunc Geographicæ etiam di-
co considerationis esse; non ut exin *Copernicanorum* de Ter-
ræ motu stabilire velim sententiam. (Illi enim cum aërem
dicant in orbem rapi, id quod ex alto dejicitur, ejus quoque
motu ferri existimant, ut in locum illum incidat, in quem,
si Terra immota persisteret, incidisset.) Verum aërem huc
refero, quatenus ad illum pertinent Venti, Zonarum diver-
sitates, cum pluribus aliis, quæ in *Geographia*, & maximè *Nau-
tica*, parte illius, occurrere solent. Notum enim est, quod
aër in Zona frigida plerunque crassus sit & nebulosus, quod
distantia mediæ regionis aëris variet pro vicinia Polorum,
ut in locis Polo vicinis Telluri propior illa sit, remotius au-
tem supremæ initium. Hinc superficiem terminantem re-
gionem primam aëris esse Ovalem vel potius Ellipticam sive

B 3

Sphæ-

Sphæroidicam , protuberantem in Zona Torrida dicit *Varenius* *Geograph. General. Part. Absol. lib. 1. cap. 19 prop. 19.* qui peculiaria quædam æris in diversis locis recenset ibidein, *prop. 41.* Evidem ad Physicam ventos & reliqua pertinere non nego , cum causas illorum investigate ad ipsam omnino spectet ; vendicant sibi tamen illorum quoque doctrinam *Geographi* , ut *Cluverius* , p. m. 29. *Schult.* p. 48. &c prædictus *Varenius* , qui hanc affert comparationem , l. c. *prop. 2.* Aër nihil aliud est , quam textura multorum corpusculorum , quæ Telluri adherent , sicut lanugo pomum cotoneum circumvestit.

III.

Causam Exundationis Nili præcipuam , arbitror esse Nitrum , quo fluvius ille scatet.

Vix ullus erit fluvius nobilissimis æquè exagitatus controversiis , ac *Nilus* . Transcat , quod cum aliis commune habet , sc. origo ; quam tamen veluti homines investigare semper studuerunt , ita econtra Naturam abscondere illam seu *Mysterium Geographicum* , solerteriamque hominum exercere velle dicunt *Ephem. Erudit.* anno 1666. *Eph. 33.* Maxima sanè hæc est difficultas de inundatione Nili , certis semper temporibus , per tot jam retro secula , continuatâ . Causas illius varias prodidere , sed duæ hæ maximè probabiles visæ fuerunt *Cluverio Introd. Geogr. lib. 6. cap. 3. p. m. 583. 1.* Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussus , ultrò in ora acto mari . Aut 2. *imbris Æthiopiae* æstivi , iisdem Etesiis nubila illò ferentibus ex reliquo orbe . Et hanc quoque defendit *Isaacus Vossius* in *Origine Nili & aliorum fluminum* , ex eodem fundamento , quod pluribus confirmat & explicat . De Nitro autem incrementi hujus causâ primus cogitasse dicitur de *La Chambre* , in *Dissertatione de Causis Inundationis Nili*

15.

Nili; Suamque sententiam probat i. à Nitri fertilitate, dum Salem & præcipue Nitrum principium facit tum fertilitatis terræ, tum fœcunditatis animalium. Assentientem in hoc habet Iohannem Mayow, Anglum, qui in tractat. de Spiritu Nitro Aereo prolixus est in nitri laudibus, & pag. m. 129. cap. 8. dicit: *Nostra fert opinio, particulas Nitro-aereas, sicut in Vegetabilibus, ita etiam in Animalibus, præcipuum vitæ, motusque instrumentum esse.* 2. ex circumstantiis quibusdam, ut, quod aqua in fluvio 3. 4. ve dies ante quam crescere incipiat turbida fiat, certus quidam rostum temporis decidat, & quæ sunt alia. 4. Quod positis istis Pluviis, quotannis elevatio riparum verenda sit, cum tamen non altiores factæ sint, quam antea multos annos fuere. Plura adhuc habet non exigui momenti argumenta, quibus assensum denegare non potui. Pluvias autem causas illius esse non posse, patet, quia positis pluviis istis circa originem Nili, non poterit ratio reddi, quod eodem semper, statim atque certo anni die exundare cogatur Nilus, cum utique non eadem semper quantitate ac modo illæ decidunt; Nilus enim non semper æqualiter se effundit, sed interdum nimium sæpe autem parcè admodum exundat, ut non raro annonæ sequatur caritas.

EX OPTICA.

Elonginquo ad nos delatae species, mirum quibus mutationibus sint obnoxiae.

Sicut tota ferè Optica circa specierum mutabilitatem versatur; sic pariter omnes fere res eidem sunt obnoxiae. In simplici statim visione figuratum inversarum opus est erectione. vid. Excell. Dn. D. Reiselium, *de Visionis distinctissima loco, & Schediasma ad Hunc Excell. Dn. Spleissii, in Ephemer.*
Natura

Naturæ Curiosorum Ann. 10. Observ. 140. & 191. Quanta de-
formitate Objectum nunc distorta & monstrosa, nunc gigan-
tea vel pumila facie præsentari, & contrà elegantissimè exhi-
beri possit, vide apud Schottum in *Mag. Opt. & Alios.* Ve-
rum unicum è longinquo ad nos veniens examinabo; nem-
pe Sol cum adeo à nobis distet, ut , secundum quorundam
sententiam, 9482202000000000 minor, quam est, appa-
reat, etiamsi Cubicæ foret figuræ, globosus tamen à nobis
conspiceretur. Aliud exemplum dat *Magnenus l. c.*
cap. 3; Disp. 2. Si daretur aliqua stella figuræ v. g. eicosaedri,
illa emittit species sui secundum Pyramidem, qua tot facies ha-
bet, quot sunt quas complectitur sectio, que fit ab oculi positione
ductis ad ejus circumferentiam rectis, & tamen in decursu an-
guli omnes retunduntur, ut perfectæ Sphæræ imago oculis ex-
cipiatur. Planetas libero oculo sphæricæ figuræ esse arbitra-
mur; sed Telescopia longè alias manifestarunt figuras; illis
enim Annulum, Saturni corpus notabili & æquali interstitio
ambientem, nunc dimidium, nunc plane deficientem, Mar-
tem gibbosum, Veneris phasæ varias observarunt Hevelius,
Hugenius, Cassinus, Campanus. Auzutus, Schoockius, ut videre
est in *Ipsorum Scriptis, & Ephem. Eruditorum* in diversis locis.
Figuram stellarum fixarum quidem Sphæricam esse non ne-
go; attamen, sicut lux per angularum foramen ingressa, lon-
giusque continuata tandem rotundatur; ita licet ipsæ valde
irregularis forent figuræ, ob tantam tamen distentiam (*Car-*
tesiant faciunt immensam,) sphæricæ nobis apparerent. Ob
nimiam hanc distantiam vulgus Lunam & Solem, ♀ & Sirium
ejusdem magnitudinis esse existimat, juxta consuetam nem-
pe propositionem: *Quanti sunt anguli visorij, tantares appa-
ret.* (Angulus autem hîc, ut annotat Clariß. Dn. Iohann. Ott.
l. c. §. 81.; pro varia spectantis oculi, & humoris Crystallini
constitutione, ab imaginatione proiecta, augeri aut minu-
potest.

II. Lu-

II.

*Luna in Speculo Plano visa quadruplicem
offert imaginem.*

Multiplices aliás apparere solent imagines, in speculis planis in frusta fractis, imò & in integris certo modo collatis; si nimirum illa omnia perpendiculariter opponantur puncto inter oculum & rem in speculo radiantem medio, tunc enim oculus unius visibilis singulas imagines in singulis frustis videbit, unoque intuente populus videbitur, teste *Hainlin. Optic. p. m. 771. Caspar Schott, tom. 1. part. 1. lib. 6. prop. 12. 13. Narratitem Alstedius*, si per vitrum in speculum introspiciamus videri gemina, & Solem in speculo aquæ immerso conspectum apparere duplicem, falsò quibusdam hanc imaginem Mercurii vel alterius esse stellæ arbitrantibus, vid. l. c. *Opt. I. 4. c. 2.* Verum hīc in unico speculo hyalino plano, non in aqua posito, nec per vitrum, aut in frusta redacto quadruplex apparere solet imago Lunæ. Annotavit hanc multitudinem test. *Ephemer. Nat. Curios. in Appendice ad annum 6. & 7. Jacobus Janus, Med. D. & Regia Majest. Daniae Archiater, in MS capotrico*, cui primum spectaculum hoc sese obtulit in *Aula Illustriss. Elect. Saxon. Lichtenburg*, ubi in fenestrīs vitreis, speculi instar utrinque politis, nocturno tempore accensa cerea geminas referebat imagines. Quas ille igitur singulares observarit circumstantias, quas paradoxas ex in deduxerit conclusiones, vid. l. c. *prop. II. 12. &c.* Observavit jucundum hoc spectaculum etiam supra citatus *Schottus*, & hanc speculorum posuit proprietatem, l. c. *prælus. prop. 8. Specula penitus opaca semel rantium reflectunt speciem; at secundum quid diaphana, bis.* Ubi per specula penitus opaca intelligit marmor lævigatum & specula chalybea, secundum quid autem diaphana, vitrea. Ego

C

cum

cum in veritatem hujus rei inquirerem, speculum planum vitreum, communi alias usui destinatum, splendenti *Lunæ* obverti, ut obliquè incidere possint radii, & quatuor mani festè deprehendi imagines pro ratione obliquitatis nunc proprius nunc remotius à se invicem distantes; quas pro diverso speculi situ nunc perpendiculariter erectas, nunc ad latera positas observavi, ita ut quælibet positura speculi variare situm illum potuerit, manente tamen semper lucidissima *Basi*, ut *Ianus* loquitur. Pro dicta hac diversitate nunc obscurior imago superiorem, nunc inferiorem obtinebat locum, dextrorum jam, nunc sinistrorum spectabat. Speculum dein *Levi* obvertens, tres saltem licuit imagines conspicere; at, quod visu fuit jucundum, *stellula* quædam & magnitudinis in *Bayeri Uranometria* nonata inter magnam & minorem imaginem clare satis intercepta apparuit. Eundem numerum in *Sirio*, duas autem in *Saturno* observare licuit. Denique *lampas* valde obliquè in speculum radios mitens, non quadruplicem solum, sed sextuplicem praesentavit imaginem in eodem speculo vitro plano. Nec quispiam oculorum lusum solummodo esse putet, præterquam enim quod saepius illud conspicere licuit, immo semper, aliis etiam insigni oculorum acie pollutibus una mecum id contemplantibus eodem semper apparuit modo. In causa Phœnomeni hujus explicanda prædicti duo *Autores* non multum differre videntur. Licet enim *Schottus* tot imagines non observarit, hanc tamen causam adducit duplicitis & triplicis imaginis; *Diaphana* secundum quid propter duplicitem specierum incidentiam unam in anteriore superficie sine refractione, alteram in posteriori cum refractione, duplicitem dant specierum reflexionem. &c. Et hæc est causa cur in hujusmodi speculis Objectum appareat duplex, & aliquando triplex. *Ianus* autem prop. 28. causam hoc modo explicat quintuplicis imaginis: Causa ex varia reflectione & refractione deducenda est, quam nos

mos ita se habere putamus. Vnam præbet superficies anterior irrefractam vi fortis lucidi; secundam superficies posterior refraetam & reflexam vi fortis lucidi; tertiam species prima in anterio facie speculi recepta & per se radians non vi fortis in superficiem aversam; quartam producit species posterior, vi suaradans in anteriorem speculi superficiem & inibi refractam; quintam species tertia è postica in anticam superficiem regrediens pingit.

EX ACUSTICA

I.

Sonus in Matheſi peculiarem ſibi obligat disciplinam, ſcilicet Acuſticam.

Non ad Musicam ſolam, quam ſpecialem aliàs *Arithmeti-
cam* ſonorū vocant & *Geometriam* referendus eſt ſonus,
aut *Physicam*, ſed peculiarem conſtituit disciplinam. Reclē
Alſtedius in *lſag. in Math. Disciplinas Mathematicas Me-
diæ*, ut *Geographiam*, *Opticam*, &c. magis eſſe mathema-
ticas quam *Physicas* dicit. Evidem non injuria defectus
aliquis Matheſeos videtur, quod non æquè exulta atque
Optica, cum tamen quæ inibi excoluntur argumenta, non
ignobiliora ſint iis, quæ tractantur in *Musicis*. Verum
meliore utique digna forte disciplina è ſedulis *Modernorum*
quorundam ingeniis cœpit excoli. Celebris ille Pater
Kircherus, totum de illa tractatum, quem *Phonurgiam* no-
minat, edidit. (Licet à *Quodam* ſine ordine & judicio
confarcinatum opus vocetur, in quo nil niſi picturarum
varietas, & rædiosa repetitio, queis libri ejus ſcateant, res
autem ipſæ ſi ſpectentur, jejunæ ut plurimum deprehen-
dantur.) Et *Schottus* totum 2. Tomum *Magia Naturalis Acu-
ſtica & Musica* repletum nobis reliquit. Et jure quidem

C 2

merito

merito cultura ejus hodie instituitur. Si enim *Optica ex Actinobilismo Photico* sua deducere solet Phænomena, firmasque inde ad visionem pertinentes conclusiones format: Certè habet etiam hoc *Acustica*, & non minus Soni proprietates & effectus ex *Actinobilismo Phonocampticod* deducit; Æquè in *Acustica* Anguli Incidentiaz æquales sunt Angulis reflexionis; & quicquid in *Optica* de Speculis in formam *Parabolæ* elaboratis quoad radiorum Solarium ad unum punctum reflexionem, atque alias sectiones Conicas dicitur, intelligi etiam potest de conclavibus in eandem formam elaboratis; Vid. *Dissert. de caus. ac natur. Auditionis Excellentiss. Dn. D. Screta à Zavorziz.* §. 14. 15. ita ut vox in uno ex comparatione factorum punctorum prolata, valdè intendatur in altero, imò submissè licet, ibi tamen percipiatur. Vid. *Schott. l. c. l. 3. p. m. 152.* Nec cedit *acustica Optica* in Instrumentorum varietate atque utilitate maxima. Quod enim illi sunt *Telescopia*, *Microscopia*, *Specula Caustica*, &c. Id in Hâc sunt alia hujusmodi instrumenta, *Actinobilismo sonum valde augentia*, *Tuba*, e. gr. *Stentorophonica Kircheri*, vel *Morlandi*, cuius ope conficietur forsitan quod in votis habebat *Campanella*, instrumentum Auriculare, pro exaudiendo concentu orbium cœlestium, vid. *Morhof. in Dissertat. de Paradox. sensuum, paradoxa auditus.* Maximum autem sonorum intensivum est *Tubus spiraliter contortus*, in modum cochleæ, quoniam in tali plures & vehementes fiunt reflexiones, ob tortuosam viam, per quam propagantur. Assentit his supra citatus *Ingeniosiss. Dn. Iohannes Ott*, in *Epistola ad Excellentissimum Dn. D. Wepfferum*, dum dicit: *Spirales lineas ac superficies huic fini (intensioni scilicet Sonorum) quam ac commodatissimas esse scias*; determinans insuper sphæram activitatis Tubarum Stentorophonicarum sitam esse in ratione cuborum orificij majoris & minoris. *Schottus de Tubis hujus-*

hujusmodi mentionem faciens , dicit , non meram & inanem esse speculationem , sed effectum infallibilem habere talem Machinam.

II.

Datur etiam Refractio in Sonis.

Quid sit Refractio patet , nempe Alteratio Mobilis , dum ex uno medio transit in aliud , quod ei magis vel minus resistit . Hanc sono etiam competere dico , cum æquè ac radii in Opticis , quando per medium aliquod ab aëre diversum transit , alterationem patiatur . Sic è medio tenuiori in densius delatus mutationem istam subit . Urinatores enim in mari extra excitatos sonos percipere dicuntur , ipso attestante Aristotele , οὐδὲν ἀπόμενον . 12. de anima cap. 8. & Strauß. Isagog. Physic. p. m. 237. Sed non ita clare , verùm obtusè id sit atque depresso pro varia nimis in aqua profunditate . Transit etiam sonus è medio crassiori in tenuius , dum , quæ sub aqua sonum aliquem producunt , etiam extra illam , verùm , ut supra , obscurius audimus . Determinatio autem quantum sonus per medium densius deductus de illo amittat , altioris res est indaginis . Ego nuper quatuor vitris ejusdem magnitudinis , quorum unius capacitas erat plusquam dimidiæ mensuræ nostratis , immisi ad distantiam aliquam tintinnabulum extra liquores sonorum , intra liquores autem valdè debilitatum illum sonum ad aures pervenisse percepī . Clarissimum exaudiui in Lacte non adulterato , in Vino Veteri jam aliquantum , in Aqua autem plus deficiētem , in Oleo denique admodum obscurum . Evidem Caspar. Schottus in Mag. univers. tom. 2. lib. 1. cap. 3. dicit : Marinus Mersennus in Harmonia sua audet definire , quanto tardius per aquam quam per aërem , idem aut equalis so-

C. 3

nns

nus propagetur; sed vano, ut arbitror, labore, cum nihil certius statui possit. Verum, licet accuratè definite non audeam, non dimidium tamen prioris soni in lacte in quo tamen clarissimè omnium percipiebatur, deprehendi. Ipsi autem soni illi in Vino & Aqua excitati medii ferè proportionales erant inter lactis & olei, ita ut sonus in lacte toties superaret eum, qui fuerat in Vino, quoties hic tertium, &c.

EX STATICÀ.

Quodlibet Corpus in quocunque statu fuerit Centrum Tendentiae & Gravitatis per lineam rectam perpendicularēm connectere studet.

Clarioris h̄ic cognitionis gratiâ, dicendum ante omnia aliquid de duobus his Centris, Gravitatis & Tendentiae. Gravitatis ita dicitur, quoniam res in eo suspensaæ æquilibrium tenent. Guldinus in *Centrobaryc.* l. 1. cap. 1. ita definit. *Centrum gravitatis uniuscujusque quantitatis finitæ est punctum illud, vel in illa ipsa Quantitate, ejusve termino vel extra positum, circa quod undique partes æqualium momentorum consistunt.* Tendentiae autem sic dicitur, quoniam ad illud omnes res graves tendunt. Illud quomodo in figuris tum Regularibus tum Irregularibus inveniatur, variis monstrarunt varie. Modum Mechanicum vid. in *Deliciis Physico Mathematicis M. Danielis Schwenteri*, part. 3. p. m. 361. & *Disput. de Theoria Gravium M. Krebsii*, p. 5. In *Trapezio, Semicirculo, Parabola, Cylindris, Conis, Lunula Hippocratis* monstrarunt Kircherus in *Mund subterrani*. l. 1. f. 1. cap. 1. Guldinus. Slusius in *Mesolabo*, &c. Hoc autem Centrum, nempe Tendentia, plurimis vexatur controversiis. Cur
nempe

nempe ad illud ferantur gravia, num attrahantur, num pellantur, aliâve causa eò ferantur, an in Aqua, an Terra, an in utrisque simul, an verò in imaginatione solum consistat; vid. *Harsdörff. Del. Matth. p. 3. p. 6.* Quastamen meas hâc vice facere nolo. Sufficiat, quod in *Thesi* dixi, stationem hominis, ingressum & sessionem imò quamvis inclinationem corporis, subinde servare lineam perpendicularē ad Terræ Centrum tendentem. Hinc Quadrupedia itidem diagonaliter oppositos pedes tollere videmus, & reliquis terrestri plano insistere. Vocari solet linea illa perpendicularis *Linea Directionis*, quia dirigit motum gravium versus Centrum. Hinc vana est imaginatio eorum, qui ne *Antipodes* in cœlum ruant, verentur, æquè enim illi ac nos Centrum gravitatis & tenditæ connectere conantes, perpendiculariter in hoc tendunt.

II.

Partes Aquæ superiores premunt inferiores.

Primum hoc est *Paradoxorum*, quæ in *Hydrostaticis suis* *Robertus Boyle, Nobilis Anglus, è Societate Regia, proponit;* Experimentoque ab oleo & aqua desumpto fusiū probat. Vid. p.m. 10 Liceat hâc vice *Ingeniosissimis hisce Experimentis addere vulgare aliquod & ubiq; obvium experimentum.* Quæ enim quæso est ratio, quod *Gutturnio* e. gr. aut alio vase aqua repleto, liquor in longiorem exsiliat distantiam, aquâ autem imminutâ imminuat quoque proruptio illa, ita ut tandem per lineam rectam solum destillet, cum prius tamen arcum fecerit non exiguum. Non aliam sane causam hujus crediderim, nisi partium superiorem pressionem; sive dein sponte illæ ad centrum tendant, sive ab aere aut materia primi Elementi *Cartesianorum* premantur, nihil interest, modo superiores premant inferiores. Plurimis autem sen-

ten-

tentia hæc premi solet difficultatibus: *Schottus enim in Magia Hydrostatica, & Hydraul. Pnev. valdè eam 7. validis rationibus oppugnat, & experimenta Magnani pro illa pressione instituta refutat.* Verum supra *Laudatus Boyle*, has ipsas, Autorem licet non nominet, refutavit. Una quoque è præcipuis *Schotti* objectionum est illa, quod Urinatores non sentiant sub aqua pondus aquæ ipsis incumbentis; Causam hujus *Harsdörfferus*, in *Delic.* è *Stevino* adducit, eamque hoc syllogismo proponit: *Omnis pressio, quæ corpori dolorem infert, partem istius è naturali suo loco deturbare debet. Hoc autem aqua non facit. E. nec corpus sub se contum premit.* *Schottus* hanc refutat, aliamque substituit, quam cum pluribus aliis examinat *Boyle*, *Ipsè* causam adducens, partim firmiorem corporis urinatoris texturam, partim vero naturam pressionis, quæ in corpora fluidis immersa exseritur. Idque in Appendix *Gyrinulo* quodam, qui licet *Cylindro*, aëre adeò inibi compresso, ut moderatissima æstimatione, reductus fuerit in octavam vel decimam partem spatii prioris, includebatur, libere tamen inibi huc illicque vagabatur, probat. (*Vid. Burcher. de Volder. Disp. Academic. de Aëris gravitate, p. m. 28.*) Appendix suam sic claudit: *Licet aqua concedatur premere in aquam, omniaque corpora immersa, Urinator tamen illæsus manere potest ad insignem sub aqua profunditatem constitutus, quamdiu ejus in omnes partes ipsi expositas pressio est uniformis.*

TANTUM.

SIT DEO SOLI GLORIA!




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541638-p0037-5

DFG

ULB Halle
006 682 219

3



WOM





Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	-------	---------	-----	--------	-------	------	------

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

PROBLEMATA
MATHEMATICA,

Favente DEO Benignissimo,

Sub PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS LUDOVICI MÖ.
GLINGI, Phil. & Medicinæ Doctoris, Physices & Mathe-
seos in Academia Tübingeri Professoris Publici
Ordinarii,

Domini Cognati ac Præceptoris sui Colendi,
Pro Suprema Philosophiæ Laurea, sive Gradu
MAGISTERII consequendo,

Ad disputandum publicè proposita,

à RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Tübingeri,

Die 21. Ianuary,
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO.



Tubingæ

Typis excudit Gregorius Kerner.

1682, 10

M

1682.

